

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio LI: In M. Antonium Philippica nona

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



P. 221.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA

NONA.

ORATIO LI.



**V**ELLEM dii immortales fecissent, P. C. ut  
 uiuo potius Ser. Sulpitio gratias ageremus,  
 quam mortuo honores quaereremus. Nec ue-  
 ro dubito, quin, si ille uir renuntiare legatio-  
 nē potuisset, reditus eius & nobis gratus fuerit, & reip.  
 salutaris futurus: nō quod L. Philippo, & L. Pisoni aut stu-  
 dium, aut cura defuerit in tanto officio, stātoq; munere: sed,  
 cum Ser. Sulpitius etate illos anteciret, sapientia omnes, su-  
 bito ereptus ē caussa, totā legationem orbam, & debilita-  
 tam reliquit. Quod si cuiquam iustus honos habitus est in  
 morte legato, in nullo iustior, quam in Ser. Sulpitio, repe-  
 riatur. Ceteri, qui in legatione mortē obierunt, ad incertum  
 uita periculū, sine ullo mortis metu profecti sunt. Ser. Sul-  
 pitius cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profe-  
 ctus est, nulla reuertendi, qui cum ita affectus esset, ut, si ad  
 grauem ualetudinem labor uia accessisset, sibi ipsi diffide-  
 ret: non recusauit, quo minus uel extremo spiritu, si quam  
 opem reip. afferre posset, experiretur. Itaque non illum uie  
 byemis, non niues, non longitudo itinervis, non asperitas  
 uiarum, non morbus ingrauescens retardauit: cumq; iam  
 ad congressum, colloquiumq; eius peruenisset, ad quē erat  
 missus,

missus, in ipsa cura, & meditatione obeundi sui muneris  
 excessit e uita. Vt igitur alia, si hoc, C. Pansa, praclare,  
 quod nos ad ornandum Ser. Sulpitii cohortatus es, & ipse  
 multa copiose de illius laude dixisti. quibus a te dictis, nihil  
 prater sententiam dicerem, nisi P. Seruilio respondendum  
 putarem, qui hunc honore statuae nemini tribuendum cen-  
 suit nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Ego autem, P. B.  
 P. C. sic interpretor sensisse maiores nostros, ut causam  
 mortis cęsuerint, nõ genus esse querendi. Etenim cui legatio  
 ipsa\* morti fuisset, eius monumentum exstare uoluerunt, ut  
 in bellis periculosis obirent homines legationis munus au-  
 dacius. Non igitur exempla maiorum querenda, sed con-  
 silium est eorum, a quo ipsa exempla nata sunt, explican-  
 dum. Lar Tolumnius rex Veientium quattuor legatos po-  
 puli Rom. Fidenis interemit: quorum statuae steterunt usq;  
 ad meam memoriam in rostris. iustus honos. ijs enim maio-  
 res nostri, qui ob rempub. mortem obierant, pro breui uita  
 diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octauij clari uiri,  
 & magni, qui primus in eam familiam, quae postea uiris  
 fortissimis floruit, attulit cōsulatum, statuã uidemus in ro-  
 stris. nemo tum nouitati inuidebat, nemo uirtutem non ho-  
 norabat. At ea fuit legatio Octauij, in qua periculi suspicio  
 non subesset. Nam cum esset missus a senatu ad animos re-  
 gum perspiciedos, liberorumq; populorũ, maximeq; ut ne-  
 potem Antiochi regis, qui cum maioribus nostris bellum  
 gesserat, classes habere, elephantos alere prohiberet: Lao-  
 dicea in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Red-  
 dita est ei tum a maioribus statua pro uita, quae multos per  
 annos progeniem eius honestaret: nunc ad tantae familiae  
 memoriam sola restaret. Atqui & huic, & Tullo Cluio, &  
 L. Roscio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui a Veientium

rege *caesi* sunt, nō sanguis, qui profusus est in morte, sed ipsa mors ob remp. obita, honori fuit. Itaq; P. C. si Ser. Sulpitio *caesus* mortem attulisset, dolorem quidem tāto reipub. uulnere, mortem uero eius non monumentis, sed luctu publico esse ornandam putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ciuitam abstulerit ipsa legatio? secum enim ille mortē extulit: quam, si nobiscum remāsisset, sua cura, optimi filij fidelissimaq; coniugis diligentia uitare potuisset. At ille, cū uideret, si uestra auctoritati non paruisset, dissimilem se futurum sui: si paruisset, munus sibi illud pro rep. susceptum uitae finem allaturum: maluit in maximo reip. discrimine emori, quam minus, quam potuisset, uideri reip. profuisse. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiēdi se, & curandi potestas fuit: aderat hospitum inuitatio liberalis pro dignitate summi uiri, & eorum hortatio, qui una erant missi, ad requiescendū, & uitae sua consulendū. At ille properans, festinans, mandata uestra conficere cupiens, in hac constantia morbo aduersante, perseuerauit. Cuius cum aduentu maxime perturbatus esset Antonius, quod ea, quae sibi iussu nostro denuntiarentur, auctoritate erant, & sententia Ser. Sulpitij constituta: declarauit quam odisset senatum, cum auctorem senatus exstinctū, late atque insolenter tulit. Non igitur magis Octauium Leptines, nec Ventium rex eos, quos modo nominauit, quam Ser. Sulpitium occidit Antonius. Is enim profecto mortē attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca etiam ad posteritatis memoriā pertinere arbitror, exstare quod fuerit de hoc bello iudicium senatus. erit enim statua ipsa testis, bellum tam graue fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consecutus sit. Quod si excusationem Ser. Sulpitij, P. C. legationis obēdientiae recordari uolueritis, nulla dubitatio relinqueretur, quin honore mortui

mortui, quam uiuo iniuriam fecimus, sarciamus. Vos enim, P.C. (grauē dictū est, sed dicendum tamen) uos inquam, Ser. Sulpitium uita priuastis. Quem cum uideretis se magis morbo, quam oratione excusantem, non uos quidem crudeles fuisistis (quid enim minus in hunc ordinem conuenit) sed, cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate, & sapientia effici posset, uehementius excusationi obstitistis, atq; eum, qui semper uestrum consensum grauissimum iudicauisset, de sententia deiecistis. Vt uero Pansa consulis accessit cohortatio grauior, quam aures Ser. Sulpitij ferre didicissent, tum uero deniq; filiū, meque seduxit, atq; ita locutus est, ut auctoritate uestram uita sua se diceret anteferre. cuius nos uirtutem admirati, non ausi sumus\* aduersari uoluntati. mouebatur singulari pietate filius: non multum perturbationi eius meus dolor concedebat: sed uterq; nostrum cedere cogebatur magnitudini animi, orationisq; grauitati: cū quidem ille maxima laude, & gratulatione omnium uestrum pollicitus est, se, quod uelletis, esse facturum, neq; eius sententiæ periculum uitaturum cuius ipse auctor fuisset. quem exsequi mādāta uestra properantem mane postridie persecuti sumus. qui quidem discedens mecum ita locutus est, ut eius oratio omen fati uideretur. Reddite igitur, P.C. ei uitam, cui ademitis. uita enim mortuorum in memoria est posita uiuorum. perficite, ut is, quem uos inscijs ad mortem misistis, immortalitatem habeat a uobis. cui si statuat in rostris decreto uestro statueritis, nulla eius legationē posteritatis obscurabit obliuio. Nam reliqua Ser. Sulpitij uita multis erit, præclarisq; monumentis ad omnem memoriam commendata. semper illius grauitatem, constantiam, fidem, præstantem in rep. tuenda curam, atque prudentiam, omnium mortalium

fama celebrabit. Nec uero silebitur admirabilis quaedam,  
 P. 223. & incredibilis, & pene diuina eius in legibus interpretã-  
 dis, æquitate explicanda sciẽtia. Omnes, ex omni ætate qui  
 in hac ciuitate intelligentiam iuris habuerunt, si unum in  
 locum conferantur, cum Ser. Sulpitio non sunt comparãdi.  
 Neq; enim magis iuris consultus, quam iustitia fuit. Ita  
 quæ proficiscebantur a legibus, & a iure civili, semper ad  
 facilitatem, æquitatemque referebat: neq; instituerẽ litium  
 actiones malebat, quam controuersias tollere. Ergo hoc  
 statua monumento non eget: habet alia maiora. hæc enim  
 statua mortis honesta testis erit; illa, memoria uitæ glo-  
 riosa: ut hoc magis monumentum grati senatus, quã cla-  
 ri uiri futurum sit. Multum etiam ualuisse ad patris hono-  
 rem pietas filij uidebitur: qui quamquam afflictus luctu  
 non adest, tamẽ sic animati esse debetis, ut si ille adesset, est  
 autem ita affectus, ut nemo umquã unici filij mortem ma-  
 gis doluerit, quam ille mæret patris. Et quidem etiã ad fa-  
 mã Ser. Sulpitij filij arbitror attinere, ut uideatur honore  
 debitum patri præstitisse. quãquã nullum monumẽtum cla-  
 rius Ser. Sulpitius relinquere potuit, quam effigiem mortis  
 suorum uirtutis, cõstantiæ, pietatis, ingenij, filij. cuius lu-  
 ctus aut hoc honore uestro, aut nullo solatio leuari potest.  
 Mibi autem recordanti Ser. Sulpitij multos in familiari-  
 tate nostra sermones, gratior illi uidetur, si quis est sensus  
 in morte, ænea statua futura, & ea pedestris, quam inau-  
 ratæ equestris, qualis L. Syllæ prima statua est: magnifice  
 enim Seruius maiorum continentiam diligebat, huius se-  
 culi insolentiam uituperabat. Vt igitur, si ipsum consulam  
 quid uelis, sic pedestrem ex ære statuam, tamquam ex eius  
 auctoritate, & uoluntate decerno: quæ quidem magnum  
 ciuium dolorem, & desiderium honore monumenti mi-  
 nuet,

nuet, & leniet. Atque hanc meam sententiam, P. C. P. Ser. P. B.  
 ulij sententia comprobari necesse est, qui sepulcrum pu-  
 blice decernendum Ser. Sulpitio censuit, statuat non cen-  
 suit. Nam si mors legati sine cæde, atque ferro nullum ho-  
 norem desiderat, cur decernit honorem sepulturae, qui ma-  
 ximus haberi potest mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpitio,  
 quod non est datum Cn. Octavio, cur, quod illi datum est,  
 huic dandum esse non censet? Maiores quidem nostri sta-  
 tuas multis decreuerunt, sepulcra paucis, sed statuae inte-  
 reunt tempestate, ui, uetustate: sepulcrorum autem sancti-  
 tas in ipso solo est, quod nulla ui moueri, neque deleri po-  
 test: atque, ut cetera extinguuntur, sic sepulcra sanctiora  
 sunt uetustate. Augeatur igitur isto etiam honore is uir,  
 cui nullus honor tribui non debitus potest: grati sumus in  
 eius morte decoranda, cui nullã iam aliã gratiã referre possu-  
 mus: notetur etiam Antonij nefarium bellum gerentis sce-  
 lerata audacia. his enim honoribus habitis Ser. Sulpitio, re-  
 pudiatæ, reiectæque legationis ab Antonio manebit testi-  
 ficatio sempiterna. Quas ob res ita censeo, CVM Ser. Sul-  
 pitius Q. F. Lemonia, Rufus difficillimo reipubl. tempore,  
 graui, periculosoq; morbo affectus, auctoritatem senatus,  
 salutemq; populi Romani uitæ suæ praposerit, contraq;  
 uim grauitatemq; morbi contenderit, ut ad castra Anto-  
 nij, quo senatus eum miserat, perueniret, isque, cum iam  
 prope castra uenisset, ui morbi oppressus uitam amiserit  
 in maximo reipublicæ tempore: eiusque mors consentanea  
 uitæ fuerit sanctissime, honestissimeque acta, in qua sepe  
 magno usui reipublicæ Ser. Sulpitius & priuatus, & in  
 magistratibus fuerit: cum talis uir ob rempublicam in le-  
 gatione mortem obierit, senatui placere, Ser. Sulpitio  
 statuam pedestrem æneam in rostris ex huius ordinis P. 124.  
 sen

sententia statui, circumque eam statuam locum gladiato-  
 ribus, ludisque, liberos, posterosq; eius\* quaquaversus pe-  
 des quinque habere, quod is ob reipublicam mortem obierit,  
 eamque causam in basi inscribi: utique C. Pansa, A. Hir-  
 cius consules alter, ambone, si eis uideatur, quaestoribus ur-  
 banis imperent, ut eam basin, statuamque faciendam, &  
 in rostris statuendam locent: quanti; locarint, tantam pe-  
 cuniam redemptori soluendam, attribuendamq; curet: cumq;  
 antea senatus auctoritate suam in uirorum fortium funeri-  
 bus, ornamentisq; ostenderit, placere eum quam amplissi-  
 me supremo die suo efferrī: & cum Ser. Sulpitius Q. F.  
 Lemonia Rufus ita de repub. meritus sit, ut his ornamen-  
 tis decorari debeat, senatum censere, atq; e republica exi-  
 stimare, adiles curules edictum, quod de funeribus habeat  
 Ser. Sulpitij Q. F. Lemonia Rufi funeri mittere, utiq; lo-  
 cum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa consul, seu quo  
 in loco uidetur, pedes triginta quoquo uersus designet, quod  
 Ser. Sulpitius inferatur: quod sepulcrum ipsius, li-  
 berorum, posterorumq; eius esset, uti quod  
 optimo iure publice sepul-  
 crum datum  
 esset.